



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno MCCCCXLVII. ad annum MDXXVII.

Parisiis, 1644

XVI. De fide & operibus.

urn:nbn:de:hbz:466:1-15644

ANNO
 CHRISTI
 1527.

quam communi hominum conceptioni & apertis scriptura-
 rum testimoniis declaramus esse contrariam.

XVI.

Frequens illud est apud imprudentes, & qui non tam
 animi moderatione, quam impetu feruntur, vt dum ab
 altero vitiorum incaute diffugiunt, in alterum prolaban-
 tur. Cuius rei Lutherus fidem facit, qui dum operum fi-
 duciam nimis infectatur, nihil tandem operibus reliquum
 facit, atque ita vnus fidei patrociniū suscipit, vt solam
 agnoscat, opera reiiciat & condemnet. Verum si recte
 perpendantur quæ pro fide producit e scripturis testi-
 monia, reliquas virtutes non excludunt. Quæ vero con-
 tra opera citat, ea omnia vel ad nimiam in operibus fidu-
 ciam vel ad legales ceremonias pertinent. Fide quidem
 viuimus, & sine hac impossibile est placere Deo. Si quis
 nihilo minus habuerit omnem fidem, ita vt montes trans-
 ferat, caritatem autem non habuerit, nihil est. Fide iusti-
 ficamur, sed & spe salui facti sumus. Et dimissa sunt Mariae
 Magdalena peccata multa, quoniam dilexit multum: *Si Ioan. 14.*
quis enim, dicit Dominus, diligit me, sermonem meum serua-
bit, & Pater meus diliget eum, & ad eum veniemus, & mansio-
nem apud eum faciemus. Nunc igitur manent fides, spes, caritas, 1. Cor. 13.
tria hæc, maior autem horum est caritas, & in viuificando iusti-
 ficandoque potior: quandoquidem fides sine operibus
 mortua est. Tum demum utilis est ad salutem, cum per
 dilectionem operatur. At caritas non est otiosa, sed per
 bona opera satagit vt certam vocationem nostram ele-
 ctionemque faciat. Non enim auditores legis iusti sunt
 apud Deum, sed factores legis iustificabuntur, dum ille
 reddet vnicuique iuxta opera sua, dum vnusquisque mer-
 cedem accipiet secundum laborem suum. Quandoqui-
 dem omnes nos manifestari oportet ante tribunal Christi,
 vt referat vnusquisque propria corporis, prout gessit, siue
 bonum siue malum. Vbi eos, qui a sinistris erunt, non so-
 lum increpabit Dominus, quia non crediderunt, sed quia
 operibus misericordiae non vacarunt. Eos autem qui a dex-
 tris erunt, commendabit non tam a fide, quam a bonis o-
 peribus: opera enim illorum sequuntur illos. Talibus si-
 quidem hostiis promeretur Deus, facietque tandem om-
 nis misericordia locum vnicuique iuxta meritum operum

Rom. 8.

fuorum, non absoluta condignitate quidem (*neque enim condignæ sunt passiones huius sæculi ad futuram gloriam, quæ reuelabitur in nobis*) sed gratuita magis & liberali repromissione: qua, conuentione facta de denario diurno, conduxit operarios in vineam suam, qua, inquam, qui suffert tentationem, cum probatus fuerit, accipiet coronam vitæ, quam repromisit Deus diligentibus se, & ei qui fidem seruauerit, certauerit bonum certamen, cursum consummauerit, coronam iustitiæ reddet in illa die iustus ille Iudex, qui nos, etsi seruos inutiles, sua misericordia dignos facit, in partem sortis sanctorum. Non iustificat igitur sola fides, sed magis caritas, nec quæuis opera peccata sunt; sed eatenus adultis ad salutem necessaria, vt meriti quoque rationem non respuant.

ANN.
CHRISTI
1527.

Annotationes aliquot errorum, iam olim damnatorum, & nunc repullulantium paucis constrictæ.

His sane decretis, possent plura alia adiungi, verum nimia huiusmodi decretorum multiplicatione orthodoxos lectores grauare metuentes, haudquaquam alia in præsentia censemus adiicienda. Quia tamen plurimæ aliæ sunt hæreses, quas in editis libris, aut publicis prædicationibus, aut familiaribus etiam colloquiis, minime erubescunt homines peruersi hodie promulgare, pestilentibus dogmatibus enitentes inficere populum Christianum; generali quadam definitione tales damnatæ doctrinæ assertiones operæpretium est indicare, quo facilius vitentur. Exploratum nempe est, quod non alia via conuenientius hæreticorum calumniæ, hæreses atque impietates cauentur, quam vbi deteguntur & manifestantur. Tunc enim omnibus facile constat, quam vana sint ac futilia, imo quam stulta & impia eorum dogmata. At vero, vt commodius tales errores discernantur, certis subnectuntur indicibus modo sequenti.

Error fa-
uens Ario.

Nusquam legitur Dei cognomen aperte tribui Christo, in apostolorum & euangelistarum literis, præterquam in duobus aut tribus locis.

Error fa-
uens Mace-
donio.

Audemus Spiritum sanctum appellare Deum, quod veteres ausi non sunt.

Christus suam mortem deplorari non voluit, sed adorari.